

ieciſſe ſuperfluum ſuſpicemur. De hoc prius ergo pauca dicenda ſunt, ut liqui-
do mens operis de quo loquimur, innotelcat. Rerum omnium Plato & actu-
um naturam penitus inſpiciens, aduertit in om̄i ſermone ſuo de reipublicæ in-
ſtitutione propoſito, inſundendum animis iuſtitiaæ amorem, ſine qua non ſolū
reſpublica, ſed ne exiguus hominum cœtus, nec domus quidem parua conſta-
bit. Ad hunc porro iuſtitiaæ affectum pectoribus inculcandum, nihil æque pa-
trocinaturum uidit, quàm ſi fructus eius non uideretur cum uita hominis ter-
minari. Hunc uero ſuperſtitem durare poſt hominem, qui poterat oſtendi, ni-
ſi prius de animæ immortalitate conſtaret. Fide autem facta perpetuitatis ani-
marum, conſequens eſſe animaduertit, ut certa illis loca nexu corporis abſolu-
tis, pro contemplatu probi improbi uel meriti, deputata ſint. Sic in Phœdone,
inexpugnabilium luce rationum anima in uerā dignitatem propriæ immor-
talitatis aſſerta, ſequitur diſtinctio locorum, quæ hanc uitam relinquētibus ea
lege debentur, quam ſibi quiſq; uiuendo ſanxerit. Sic in Gorgia poſt peractā
pro iuſtitia diſputationem, de habitu poſt corpus animarum, morali grauitate
Socraticæ dulcedinis ammonemur. Idem igitur obſeruanter ſecutus eſt in illis
præcipue uoluminibus, quibus ſtatum reipublicæ formandum recepit. Nam
poſtquam principatum iuſtitiaæ dedit, & docuit animam poſt animal non per-
ire, per illam demum fabulam (ſic enim quidam uocant) quò anima poſt cor-
pus euadat, uel unde ad corpus ueniat, in fine operis aſſeruit: ut iuſtitiaæ uel cul-
tæ præmium, uel ſpretæ pœnam animis quippe immortalibus ſubiturisq; iu-
diciū, ſeruari doceret. Hunc ordinem Tullius non minore iudicio reſeruās,
quàm ingenio repertus eſt. Poſtquam in omni reip. otio ac negotio palmā iu-
ſtitiaæ diſputando dedit, ſacras immortalium animarum ſedes, & cœleſtium ar-
cana regionum, in ipſo conſummato operis ſaſtigio collocauit: indicās quò his
perueniendum uel potius reuertendum ſit, qui remp. cum prudentia, iuſtitia,
fortitudine, atq; moderatione tractauerint. ſed ille Platonius ſecretorum re-
lator Ex quidam nomine fuit, natione Pamphylius, miles officio: qui cum uul-
neribus in prælio acceptis uitam effuſiſſe uiſus, duodecimo demum die inter
cæteros unā perēptos ultimo eſſet honorandus igne, ſubito ſeu recepta anima,
ſeu retenta, quicquid emenſis inter utranq; uitam diebus egerat uiderat uel, tan-
quam publicum profeſſus iudiciū, humano generi nuntiauit. Hanc fabulam
Cicero licet ab indoctis quaſi ipſe ueri conſcius doleat irriſam, exemplum ta-
men ſtolidæ reprehentionis uitans, excitari narraturum q̄ reuiuifcere maluit. H

*Quid reſpondendum Colori Epicureo, putanti philoſopho nō eſſe utendum fabulis: quaſq; fabulas phi-
loſophia recipiat, & quando his philoſophi ſoleant uti. Caput II.*

AC prius q̄ ſomnij uerba conſulamur, enodandum nobis eſt, à quo ge-
nere hominum Tullius memoret uel irriſam Platonis fabulam, uel ne
idem ſibi eueniat non uereri. Nec enim his uerbis uult imperitū uul-
gus intelligi, ſed genus hominum ueri ignarum ſub peritiaæ oſtentatione: quip-
pe quos & legiſſe talia, & ad reprehendendum animatos conſtaret. Dicemus
igitur, & quos in tantum philoſophum referat, quādam cenſuræ exercuiſſe le-
uitatem, quiſ uel eorum etiam ſcriptam reliquerit accuſationem: & poſtremo,
quid pro ea duntaxat parte, quæ huic operi neceſſaria eſt, reſponderi conueni-
at